

DISCURSUS

De

PRÆDICAMEN-  
TALITATE

Ex Consensu

REVERENDI ORDINIS PHILOS.

AMPLISSIMO VIRO

DN. M. CHRISTI ERNO  
A LANDRO,

Eloqv. Professore Regio & Ordinario  
IN PARTIBUS  
*publico Eruditorum Examine modeste  
submitissus*

à

GABRIELE PROCOPÆO, J. F.

Nylando

*Ad diem 25 Aprilis Anni 1696.*

Loco & horis consuetis.

---

Impr. apud Jo. WALLIUM.

*Reverendisfimo*  
IN CHRISTO

*Patri ac Domino*

DN. JOHANNI  
GEZELIO,

S. S. Theol. Doctori  
Excellentissimo, inclutæ Diœces.  
Aboensis Episcopo & Regiæ ibi-  
dem Academiae Pro-Cancellario  
longe eminentissimo, ut & Con-  
sistorii Ecclesiastici Præsidi  
gravissimo, Patrono  
magno.



icet Reverendissimi  
Nominis Vestri emi-  
nentiâ sanctâ potius  
ac veneranda tacitur-  
nitate à me coli debeat, quam  
hisce angustissimis maximeqve in-  
cultis præfigi pagellis: exploratâ  
tamen summâ Reverendissimi  
Patris benevolentia, quâ omnes,  
præsertim studiorum cultores pro-  
sequi solet, animum, tremore licet  
dubium, eò appuli, ut summæ Ve-  
stræ Eminentia hæc levissimas  
studiorum meorum primitias, in  
æternum humili animi indi-  
cium submisit offerre non formi-  
daret, devote experens, ut à Re-  
verendissimo Patre benigno di-  
gnerentur aspectu. Hoc, præter a-  
lia

lia in me luculentèr cumulata beneficia, quibus volens obstringor, arctiori memet obligabit vinculo ad jure sacrificium, pro Reverendissimi Patris incolumitate. DEUM T. O. M. indefessis precabor precibus, ut non modo Ecclesiæ DEI sit copia de summo sibi Antistite diutissime gratulari, sed & maxime benigno frui Patrono diu æque clientibus liceat, quorum numero me, ut ut infimum, annumerari humilime quæro

REVERENDISSIMI IN CHRISTO  
PATRIS ac DOMINI

*humilimus cliens*

GABR. PROCOPÆUS.

VIRIS

*Pl. Reverendis, Clarissimis Doctissimisq̄*

DN. JOHANNI PROCOPÆO,  
Pastori ac Vice - Præposito Ecclesiarum  
in Wichtis meritissimo, Parenti omni  
filiali cultu ac obsequio ætatem  
devenerando.

DN. M. DAVIDI PETREJO,  
Pastori in Nagu Vigilantissimo, Avun-  
culo quovis officiorum genere per-  
petim colendo.

DN. ERICO THOMÆO,  
Pastori in Siundo optime merito, Fau-  
tori & Benefactori æstima-  
tissimo.

DN. JOACHIMO WAHÆNIO,  
DN. HENRICO HYLLENIO,  
Ecclesiæ Wichtiensis in Verbo Mini-  
stris fidelissimis, Fautoribus & Amicis  
jugiter colendis.

**P**er illud temporis curriculum, quo Regia  
hujus ad Auram Academiæ civibus annu-  
meratus sum, etsi summo flagraverim de-  
siderio, Parens Honoratissime & Fautores op-  
timum, gratitudinis indicium aliquod deprom-  
ere, quo promptissima V. S. a in me beneficia  
cum referre nequeam, saltem depradicarem;  
ab hoc tamen proposito infirmior hæcenus me  
inhibuit ætas, qua remorante huc usque in  
vastissimum Philosophiæ campum mihi exspe-  
ctari non datum fuit; Huic itaque Meletemati  
(etsi primo studiorum meorum sætui) V. S. tra-  
nomina Parens Honoratissime & Fautores opti-  
mi, præfigi volui, officiosè contendens, ut hæc  
levicula benigne à vobis recipiantur ac dex-  
trè explicentur. Meum erit, summum Numen  
devota venerari mente, ut felicibus, in mortali-  
um cœtu Vobis diu frui liceat, tandemque ter-  
renis sedibus desertis, Vos æterna Cælorum pa-  
latia recipiant! ceu vover

Pl. Rev. Clariss. atq; Doctissimorum  
Nominum Vestrorum

Obsequiosissimus & assiduus  
Cultor

GABRIEL PROCOPÆUS.

AD JUVENEM

*Modestissimum & Præstantissimis Virtuti-  
bus ornatum*

DN. GABRIELEM  
PROCOPÆUM,

Convictorem non invenustum  
cum publice disputando se  
commendaret

**L** Audis nunc unam tribuit quam  
prona Thalia  
Et meruit doctus, tu tibi tolle,  
labor:

Atque valetudo si quantum mens tibi  
vivax

Mi PROCOPÆE daret, portio du-  
pla foret.

CHRIST: ALANDER,



VIR JUVENIS,

*Ingenii optima cum optimis sapientis,*

GABRIEL J. PROCOPOEUS,

Cum erudite differeret super

PRÆDICAMENTALITATE,

Ἀναγκασματισμένῳ

RIGA PROBE COELI OPUS,

sub ec̄thesi & parænesi tali :

**G**ABRIEL, empyreæ nitidissima  
portio gentis,  
Induit excelsi robora magna  
DEI.

Ingenium, noster quod felix sustulit :  
Ecce

Virtutis parilis læta propago viget.

Ergo RIGA, refoveq̄ PROBE, jam ne-  
ctare *Thymbrae* :

Dædaleum COELI quod tibi cessit  
OPUS.

Τῆς αὐτῆς περικοπῆς χάριν  
prædicari voluit à Musis Ao-  
raicis adplaudente

JO: RUNGIO.

Def. Past. Tyrv.





IN NOMINE S. S. TRINITATIS.

B. L. S.



*irocinii rudimenta deponere atq;  
in Amplissimum Philosophia  
campum disputatum cum de-  
scendere pararem, de conveni-  
enti Discursus materia præ-  
primis cogitare mihi usus fuit, cujus gra-  
ziã dum animum huc illucque volverem,  
cogitationibus obvenit, quævis Philosophia  
dogmata, si recte tractentur, sua mererẽ  
encomia. Inde summa felicitas est, vir-  
tutum tam moralium quam cæterarum  
ambire prudentiam: magnæ item, imo  
quam maxima est scientiæ Politiam scite  
nosse, bene eandem constituere, recteque  
uti constitutã. Dehinc si quis in contem-  
platione Cœli commorari velit, certè ipsius*

animum haud levis subibit admiratio, dum  
artificiofam tanti corporis structuram, mo-  
tuum etiam siderum celerrimum intuetur.  
Omnes denique ( ut reliquas Disciplinas ta-  
ceam ) quibus Philosophiæ amabile studium  
cordi est, summis laudibus quæ evehatur  
agnoscunt dignissimam, Gnostologiam, cui  
nomen ab Objecto inditum, quod sit λόγος  
περί τῆς γνῶσεως sive doctrina de Cognoscibili.  
Hujus cognoscibilis Affectionem unam  
Primariam, quæ Prædicamentalitatis no-  
men sortita est mihi in materiam Dis-  
sertationis elegi. Dum vero vires inge-  
nii explorare studeo, Te Benevole lector,  
ea qua par est modestia rogatum velim,  
boni consulas ea, quæ à me, non ut de-  
bitum requirit, sed ut tenuitas ingenii  
admittit, hic adduuntur, quò illorum  
effata, quos sinistra in lucem extulit na-  
tura, tutus effagere valeam. Tu interim  
Optime JESU.

DA

*Da precor optatum felici sidere cursum  
 Quò labor in laudes desinat bicce tuas!*

CAP. I.

§. I.

**T**radituris nobis de Cognoscibilis Affectione Primaria disjuncta, nomen præprimis se indagandum insinuat, cujus in aspectu perpendenda venit *ὀνομαζολογία* sive nominis impositio, cujus in recessu continentur tria, Etymologia, Homonymia atque Synonymia. Etymologiam pervolvens habebit terminum Prædicamentalitatis nomen ducere à Prædicamento, auctorque hujus termini (referente Excellentissimo Mejero) Boëtius esse creditur. Prædicamentum autem à Prædicando deducitur, non quod Prædicamenta actu semper prædicentur, sed quod apta nata sint de aliis prædicari. Homonymiam, quæ varia vocum significata perlustrat, hic præterire nobis usu venit, cum nulla

fit, in quantum nobis videre contigit. Loco Synonymi præberi potest terminus formalis, non eadem in latissimo suo significato, prout ad  $\pi$  formale in unaquâq; definitione attendi debet, sed in tali hic acceptamns terminum formalis, ceu valet in usitatissimo illo  $\pi\lambda\upsilon\text{-}\text{Συλλήτω}$ : Quicquid perfectionis est in creaturis formaliter id omne in DEO est eminenter.

§. II.

Sic jam onomatologiâ patefactâ feliciori pede ad interiora Prædicamentalitatis progredimur. & quidem eandem hunc in modum definiendo: Prædicamentalitas est prius Affectio- nis Cognoscibilis disjunctæ primariæ membrum, quo illud ob compositionem, ex terminis essentiæ & potentia- litatis ortam, certo rerum genere comprehenditur. In expendenda hac definitione juxta Logicorum monita ad Genus & Differentiam attendi debet;  $\pi$  Cognoscibile autem suas ha- ber

bet affectiones, quæ in unitas & dis-  
 junctas dispescuntur, unitæ sunt, quæ  
 in sensu unito cum cognoscibili con-  
 vertuntur, ut Veritas & Aptitudo ad  
 ideam. Disjunctæ vero, quæ sub dis-  
 junctione illud denominant, suntque  
 hæ vel Primariæ vel Secundariæ, inter  
 Primarias sedem obtinent Prædica-  
 mentalitas & Extraprædicamentalitas,  
 Secundariarum classi inseruntur Uni-  
 vocatio & Analogia. Genus itaque com-  
 modè his verbis comprehenditur, quod  
 fit prius Affectionis Cognoscibilis dis-  
 junctæ primariæ membrum, quod tali  
 ratiocinio asseverari potest: Prædica-  
 mentalitas prout sola est, nequit omne  
 exhaurire cognoscibile, nisi contrarium  
 ejus membrum Extra prædicamenta-  
 litas scilicet, ejus adponatur lateri, quod  
 junctis viribus munere sibi concredito  
 fungi queant, seu utrinque cognosci-  
 bile afficere. Differentiam in data de-  
 finitione sequentia exhibent verba,  
 Prædicamentalitatem videlicet esse tale  
 Affectionis cognoscibilis membrum,

quo illud certo rerum genere, seu quod idem est, certa classe Prædicamentorum comprehenditur, datur namque rerum, quæ ad Prædicabilitatem aptæ natæ sunt, cognitio tum quidditativa tum comprehensiva, ut rem, quamcunque velimus, non modo ope rationis concipere possimus, quod in rerum natura detur, sed etiam evolvere ac perscrutari nobis datur copia, quid & qualis illa sit, quam mente concepimus.

## §. III.

Ex hisce quæ jam adducta sunt, velut de scaturigine quadam promanant ac ultro propullulant tria necessaria Prædicamentalitatis requisita, quorum unum est Compositio, non realis strictè sic dicta, in qua termini componentes realiter differunt, qualis est inter aquam & farinam cum massa conficitur; sed Logica & intentionalis hic intenditur, quæ est Generis & Differentiæ, quâ ratio unum idemque ens concipit per modum generis seu po-  
ten-



tentiæ, & differentiæ seu actus. Alterum est ut Cognoscibile hoc modo compositum agnoscat terminos essentiæ & potentialitatis; quid autem per terminos essentiæ & potentialitatis à nobis hic intendatur, brevi edoceri potest exemplo: Homo dum concipitur, quoad potentiam revera in rerum natura ipsum dari necesse est; jam vero in mundi lucem editus, essentialiter & actu existit. Tertium de requisitis Prædicamentalitatis est, ut in certa rerum classe seu potius in Prædicamento aliquo collocetur; quot autem modis res in Prædicamentis collocandæ sint, ex logicis addiscimus præceptis, directo scilicet indirecto atque reductivo. Directè referuntur ad Prædicamenta Entia finita, completa, per se una, univoca: indirecto modo differentiæ ad latera specierum cum suis abstractis; reductive Ens Infinitum seu Summum, Entia complexa, incompleta, aggregata & nonnulla alia.



## CAP: II.

## §. I.

**S**ic Prædicamentalitatis Definitione perlustratâ per bonam consequentiam adorimur paululum movere de nodosa satis quæstione, An DEUS sit in aliquo Prædicamento? Variæ Variorum hic concurrunt sententiæ, ut acutissimis etiam Philosophis haud exiguam de se creaverit molestiam, eo quod adeo inter se dissideant hac in re docti; quibusdam namque arridet statuere DEUM nullo in Prædicamento posse collocari, quidam contrariam huic sœvent sententiam, affirmando DEUM directè posse ad classem aliquam Prædicamentorum referri, quod eruditorum dissidium adeo confundit veritatis notas, ut tironi haud in proclivi sit discernere quam hac in parte incedat viam. Illis qui negant DEUM esse in Prædicamento se annumerat Excellentissimus in choro Philosophorum Mejerus, qui de Prædicamentalitatis requisitis

dis-

differendo, hujus quæstionis mentionem inferit, cupidus haud leuibus argumentis evincere, DEUM nullo modo posse dici in Prædicamento esse, quæ in medium à nobis adduci possunt, non ut eorundem digni æstimatores simus: præstat etiam nimis ignavus esse, quam nimis curiosus inquit Nazianzenus Orat 26. Sed cum Auctoris hujus copia, quæ insigni beneficio mihi à Præceptore publico quodam facta est, omnibus esse nequit, simpliciter in lucem prodere argumenta fortè conducet, quo & reliquis in mundo sit acutissimi ejus ingenii vim venerari, eamque tanto commodius prædicare valeant præme, qui ab ipsius ulterioribus ( et si bene meritis ) encomiis calamum ruditatis concium retraho.

## §. II.

Quo autem promissis fides sit, primum sibi argumentum circa compositionis enucleationem struxerat, quod etiam nobis Prædicamentalitatis est re-

quiritum, dicendo DEUM, seu Ens in-  
 creatum ab hac compositione omni-  
 no vindicandum esse; quamvis enim ab  
 Ente increato conceptus quidam com-  
 munis & proprius mentis operatione ab-  
 strahi possit, non tamen id propter ex  
 genere, & differentia illud est composi-  
 tum, potest siquidem conceptus dari  
 communis, qui non est genus, & pro-  
 prius, qui non est differentia; Non  
 autem omnem plane a cognitione no-  
 stra qua Ens increatum concipimus,  
 rationis removemus compositionem,  
 cum sine aliquâ, Deum & ipsius attri-  
 buta nobis in diversis conceptibus in-  
 adæqvatis, ut sunt veritas bonitas &c.  
 repræsentare non possimus, sed illam  
 saltem quæ non est ex genere & diffe-  
 rentia, quia hæc si in DEUM caderet,  
 ex determinatis & limitatis perfectio-  
 nibus constare diceretur, quod est ab-  
 surdum, eo namque infinitus esse nega-  
 retur. Secundo requiritur, ut circa talem  
 compositionem termini essentia & po-  
 ten-

tentialitatis præsto sint, jam vero in DEO possibilitas & actualitas Essentiæ cum fundamento in re nunquam concipi ac componi possunt; DEUM namque possibilem esse seu aliquando non fuisse est contradictorium.

## §. III.

Tertio ut ab individuo seu basi ad speciem, à specie ad genus in scala prædicamentali est ascendendum, sic jam DEUS ullo modo in Prædicamentis collocari nequit, cum non sit individuum sub specie contentum, semper autem species intervenire debet, cum nunquam præter eam de individuo immediatè conceptus aliquis genericus formari queat. Verum cum Logicus aptitudinem prædicandi ex omnibus rebus cernere debet atque monstrare: quippe objectum ejus non sunt entia quædam, sed in universum omnia tam realia quam notionalia & ficta: non sane minus tenetur ostendere illam Prædicati-

cationem in rebus Divinis & transcendentibus, quam in conceptibus prædicamentibus; Nam conceptus transcendentales ordinem licet excedant prædicamentalem, non tamen objectum excedunt Logicæ. Quare, etsi vel maxime Divina idea perfectissima animo hominis comprehendi nequeat, cum DEUS sit infinitus, mens vero nostra, utpote finita per naturam, ejus universæ capax esse nequeat, & illud vehementer certe repugnet esse finitum & facultate gaudere infinitâ intelligendi, ut nihil prope videatur dici obtusius; Nihilominus tamen cum conceptus Divini sub objecto Logicæ contineantur, certe & repræsentari debent in aliquo ordine logico, ut nimirum eo facilius & certius constet, quomodo conceptus isti Divini prædicentur, & ab illâ, quæ est in vulgaribus rebus prædicandis, aptitudine distingvantur. Etenim nemo negare potest, quod longè excellentior ratio prædicandi ob-  
 neat

neat in rebus divinis, quam quæ est in rebus inferioribus; licet enim conceptus Divini categorias generalitate non excedant, tamen easdem longe præcellunt dignitate; etsi res illæ Divinæ non sint ampliores rebus prædicamentibus transcendentaliter, sunt tamen iisdem augustiores & altiores eminenter. Quomodum enim conceptus transcendentales latitudine sua superant & pervagantur omnia Prædicamenta, ita conceptus divini omnes Prædicamentorum condiciones Eminentia & nobilitate præcellunt.

§. IV.

Porro licet repræsentatio illa rerum fiat per genera, species & differentias, & Essentia DEI perfectissima & simplicissima talem prædicamentalem compositionem non admittat, quapropter nec in certo prædicamento collocari potest, tamen cum DEUS quæ vera est substantia, cum substantiis cæteris



teris substantia appellari possit, facili-  
 oris intellectiois gratia sic loquendum  
 atque e classe substantiarum eum exclu-  
 dendum non puto, non quasi Divinam  
 ejus entitatem ibi locandam velimus,  
 quæ ob eminentiam perfectionis omne  
 transcendit prædicamentum, cum sit  
 ens tam nobile, ut propter infinitam  
 perfectionem, notionem generis & spe-  
 ciei non admittat; Vid. Excell. B. Dn.  
 Doct. Flachsenii Coll: Log. pag 106.  
 verum quod reductive, ut termino re-  
 cepto utamur id fieri possit.

## §. V.

Quid? quod substantia definiatur  
 ens reale, quod nulli rei creatæ inhæ-  
 ret ut subjecto inhærentis, seu quod i-  
 dem est, quod nullius creaturæ eget o-  
 perâ ut existat atque in illa sit. Quæ  
 omnia conveniunt Deo, quippe qui  
 propria virtute existit, independenter  
 ob omni causa sive procreante sive  
 conservante, adeo ut nulla substantia  
 cre-



creata ( quippe quæ omnes dependent à Deo tanquam à causa procreante & conservante simul ) eo modo per se subsistit: imo ne ad momentum horæ quidem: si namq; ulla creatura hoc sibi virtute sua dare posset, ut independenter a Dei conservatione, virtute propria per horã existeret, etiam posset efficere ut sua virtute post diē existeret, & sic deinceps sua virtute posset dare sibi æternitatem quo nihil potest dici absurdius. Ergo sicut eo potiori jure Simson ad classem fortium pertinet, quo cæteris hominibus fortitudine præcelluit, & Salomo ad classem sapientum, ut omnium sapientissimus: ita pari si non potiore jure Deus quoque, quia perfectissima est substantia ad substantiarum classem evidenter reduci postulat.

## §. VI.

Præterea licet DEUS substantia est quatenus ens est, ( sumptum, & ut Participium, quando denotat id, quod est

est in rerum natura, cuique in abstracto respondet existentia; & ut Nomen, cum amittit significationem temporis, significatque id quod esse potest, & ei in abstracto respondet essentia) & substantiæ accidentibus substare dicantur, non tamen accidentibus substare dici potest, nam in DEO nulla sunt accidentia, quippe quæ imperfectionem aliquam important, DEUS autem est perfectissimus. Deinde & verba illa: substans accidentibus, proprie non pertinent ad definitionem substantiæ in genere, verum spectant tantum definitionem substantiæ creatæ. Quare, quia DEUS est maxime substantia, in Categoria substantiæ poni posse nullus inficias ibit, præsertim si attendatur, quod Logicæ non sit agere de substantia, ut substantia, nam cognitio & explicatio substantiarum quidditativa ad realem pertinet Disciplinam & quidem Metaphysicam, esse vero in Prædicamento extrinseca tantum est denominatio.

Solet præterea disquiri, qualis sit prædicatio: DEUS est omnipotens justus &c. hanc prædicationem, contra quam prima se frons exerit, esse dicimus synonymicam, quatenus Attributiona DEI non differunt ab essentia Divina, imo nec realiter inter se distinguuntur, sunt namque a parte rei unum & idem & intrinsece seu materialiter, adeoque possim dicere: Justitia est misericordia & contra; secundum nostrum vero cognoscendi modum dicitur Paronymica prædicatio, qua omnipotentiam & justitiam tanquam attributum Divinum concipimus; Licet in rei veritate, neque justitia neque omnipotentia cæteraque Attributiona divina sint proprie & in re ipsa extra nostrum cognoscendi modum Paronyma, sed sint de rei ipsius essentia, quia omnipotentia est ipsa essentia DEI & justitia est ipsa essentia DEI, non enim sunt accidentia in DEO, ut in homine, quia accidens non

cadit in DEUM. Verum quo minus ju-  
 stitiam & Omnipotentiam Paronymice  
 de DEO recte dicamus prædicari, hæc  
 non obstant. Primo namque non intel-  
 ligimus Paronymum Prædicamentale,  
 sed Transcendentale, eminentis seu in vi  
 eminenti, jam autem nullum Parony-  
 mum in vi eminenti prædicatur secun-  
 dum imperfectionem, vel compositio-  
 nem Prædicamentalem, accidentalem.  
 Deinde illa Attributa DEI (omnipo-  
 tentia justitia &c.) non possunt à nobis  
 aliter concipi, nisi ad modum eorum,  
 quæ rem aliquam denominant; quia  
 itaque prædicatio fieri debet ob no-  
 stram meliorem intellectionem, ideo  
 omnipotentiam ut & justitiam DEI com-  
 mode Paronyma vocitare possumus,  
 verum in vi eminenti; Ergo omnia  
 Attributa DEI constituent ejusmodi  
 prædicationem in vi eminenti, quæ se-  
 cundum analogiam concipitur, præser-  
 tim in eorum prædicatione de DEO,  
 ut cum dicimus: DEUS est misericors,  
 bo-

bonus, æternus, verax &c. Sic jam æstimatâ conceptuum Divinorum & transcendentium prædicandi aptitudine, prout illa fecernenda est a rebus prædicamentalibus, & quomodo Paronyma in vi eminenti locum usumque in rebus inusitatis & Divinis obtinent, & plura quamvis vellem animum appetere, vetat tamen ingenii curta suppellex, tum otii ab aliis rebus ratio, quare filum abrumpo, officiose à Te Cordate Lector contendens, ut æquam feras dicasque sententiam de his, quæ chartis commissa sunt, quô rudes hæ pagellæ suis gaudeant defensoribus, nec Patroni easdem deficient.

*GLORIA JEHOVÆ PERENNIS.*

*Dil*


Til

Detta wackra Wårckz

Lårda För-fårdigare och Förswarare/

Herz GABRIEL PROCOPÆUS,

Min Högtåhrade Landzman och Wån:

u stilla Musers Wån så sachtlin här fram-  
tröder

Up til Parnassens Högd/med iijrlig bygda Kläder;

Med Lårdom tehr sig an en Pallas Ehta son/

Och wåisar hwad han wårft/ och icke taat på lån.

Den dierstin aldrig har ån något kunnat säija/

Men diersheet i sit tahl rånekt stådze til at wåija/

Han säijer och eij nu det som eij säijas böhr/

Men hwad som säijas kan han wackert här

uchföhr.

En GABRIEL, GUDZ KRÅFT/ sin Kråft

så böriar wiisa/

Och will i all sin wårck GUDZ Högsta Kråft

bepriisa/

Når han förmåtenheet eij bår til Liverie,

Men i sachmodigheet sin Gåfwor låter sij.

ERNEST GESTRINIUS.



*Politissime & Ingeniosissime*

DN. GABRIEL PROCOPÆE

Fautor & Amice certissime.

Ut genus est hominum varium per  
climata Mundi:

Dedita sic curis pectora sunt vari  
Cuique suum pulcrum, trahit &  
quemque voluptas.

Blanda voluptas hunc nam juvat &  
fatiat.

Huic crescunt & opes & opum furiosa  
libido.

Qui variis curis quærit anhelus opes:  
Hic captat nomen, mansuram in secula  
famam,

Quem pulchræ laudis gloria sollicitat.  
Qui vero inceptam virtutem nititur  
omni

Vi, incolumem feris tradere post-  
genitis,

Invidiâ ringente jugum virtutis anhelat,  
Molis quæ magnæ, & res operosa  
nimis.

Quod



Quod te fecisse & PROCOPÆE, Hoc  
digmate monstras  
Tu mihi delictum dulce decusque  
Meum.

Gratulor ex animo! vires conatibus illis  
Det DEUS! & Docti fama PAREN-  
TIS eris.

SIG. F. CARLINIUS. S. F.  
Uhleöënsis.

---

*Si possem carmen felici scribere venâ,  
Fam Procopæ tibi faustissima quaque  
voverem,  
Cum, doctâ pergis Logicorum dogmata mente  
Volvere, nam nomen laudesque tuas super  
annos  
Hecce debunt, laudis rerum & rata copia  
crescit,  
Gratulor & voveo, tua ne sint irita capta  
In patrios usus referas quo commoda multa  
Hinc valeas, vigeas multum per Nestoris  
annos!*

Sympatriotæ suo charissimo  
hisce paucissimis  
aplaudebat.

GEORGIUS WICHTELIUS  
Nyl: